



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Hvgolino Ostiensi Episcopo & Leoni tituli crucis Presbytero Cardinali
apostolicae sedis Legatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

HVGOLINO OSTIENSI EPISCOPO
& Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero
Cardinali apostolica sedis Legato.

Epist. 144.

Licet Luipulus Episcopus vehementer offenderit, non solum apostolicam sedem, verum etiam Ecclesiam generalem, quia tamen redire volentibus nolimus aditum obferare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus recepto ab eo in publico clericorum & laicorum conventu corporaliter juramento quod universis mandatis nostris parebit super omnibus pro quibus excommunicatus existit, eum secundum formam Ecclesiæ absolvatis; injungentes eidem ex parte nostra sub debito præstiti juramenti, salvis aliis mandatis quæ sibi duxerimus faciendâ, ut ex tunc infra mensem iter arripiat ad sedem apostolicam veniendi, quod sine malicia prosequatur donec apostolico se conspectui repræsentet, recepturus & servaturus quæ sibi fuerint ab eadem sede mandata; ea conditione solemniter interjecta, ut si mandatum hujusmodi contempserit infra mensem implere, in excommunicationis sententiam relabatur & ab omnibus actibus evitetur; cum in eo si secti velimus nervum ecclesiasticæ disciplinæ ut tamen nullatenus dissolvatur. Credimus autem ei potius expedire ut ad præsentiam nostram absolvendus accedat, Datum Corneti, ut supra.

E I S D E M.

Epist. 145.

Licet Adolphus quondam Colonienfis Archiepiscopus &c. ut supra usque dissolvatur. Provideatis autem prudenter & cautè ne angelus Sathanæ in lucis angelum se transformet, ut hujus absolutionis prætextu contra Coloniensem Ecclesiam malignetur. Datum Corneti, ut supra.

HVGOLINO OSTIENSI EPISCOPO
& Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero
Cardinali apostolica sedis Legato.

Epist. 146.

Recepimus litteras vestras, & quæ significationis vestræ breviter referentes quod ex quo Princeps petit & rogat, subeatis laborem ad nostram præsentiam revertendi, monentes eundem ut animum propensius inclinet ad pacem, quia longè majora de pace provenient quam flagitentur pro pace; nuntios autem dirigit providos & fideles quibus super his quæ spectant ad pacem & voluntatem aperiat & tribuat potestatem; ad hoc ipsum alterum Principem inducentes, ut utriusque nuntiis vobiscum præsentibus tractatus pacis possit habere progressum; qui ne valeat impediri, procuretis ut trevæ firmiter observentur. Ad plenariam vero liberationem venerabilis fratris nostri Brunonis Colonienfis Archiepiscopi efficaciter intendatis, & committatis procuracionem Ecclesiæ ac diocesis Maguntinæ alicui viro provido & fideli, qui ad mandatum nostrum de procuracionis officio debeat respondere, congruam redditurus tam de spiritualibus quam de temporalibus rationem; ut sic interim & necessitati Ecclesiæ consulatur, & jus Archiepiscopi con-

servetur, ita quod ad suffraganeos & eorum Ecclesias se ipsius procuratio non extendat. De negotio verò Trajectensis Episcopi nondum ad plenum deliberare potuimus propter absentiam creditorum; quos tamen in proximo expectamus, & tunc remittemus cursorem pro eodem negotio destinatum.

E I S D E M.

Epist. 147.

Licet tractatus pacis nondum ex toto potuerit consummari, quia tamen per Dei gratiam & sollicitudinem vestram multum est in illo processum, discretionem vestram rogamus attentius & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ad bonum pacis adhuc propensius insistatis secundum formas quas vobis duximus præfigendas. Non est enim aliquatenus admirandum si tantum negotium tam citò consummari non potuit, quoniam & magnum ædificium non potest in brevi tempore ad consummationem perducere.

E I S D E M.

Epist. 148.

Largitori omnium gratiarum grates referimus copiosas quod tantam vobis tribuit gratiæ largitatem ut injunctum vobis legationis officium onus non mediocre continentis prudenter & honestè geratis; sicut laudabile vobis testimonium perhibetur, & ipse rerum profectatur effectus. Licet autem hoc propter Dominum principaliter procuretis, quia tamen etiam propter nos specialiter vos id agere minimè dubitamus, præter retributionem divinam, nostram quoque fiducialiter expectetis, præsertim cum pro certo sciamus vos manus vestras ab omni turpi munere penitus excussisse. Ne verò super litteris illis quas nuntij vestri perdidisse dicuntur nimia vos sollicitudo conturbet, tenorem earum præsentibus vobis litteris mittimus interclusum, ut nullatenus doleatis si etiam ad manus Principis eadem litteræ devenissent; cum in iis nihil reperiatur reprehensione dignum, sed laude, satisque per illas appareat quod non in duplicitate dolosa, sed in pura simplicitate procedimus, non declinantes ad dexteram vel sinistram. Vos igitur secundum tenorem hujusmodi procedatis quantum cautius videritis expedire, scientes quod nos ipsum venerabili fratri nostro Spirensi Episcopo duximus intimandum, ut liberiorem super eo possitis habere processum. Quia verò super negotio regni Siciliae nihil adhuc nobis referre procurastis, nolentes forsan illud litteris commendare, devotionem vestram monemus attentius quatenus super illo geratis sollicitudinem diligentem, nihil de contingentibus omitentes; ut cum Deo duce ad nostram præsentiam redieritis, super omnibus nos possitis reddere certiores.

E I S D E M.

Epist. 149.

Licet apud districtissimum iudicem de nostris meritis diffidamus, de ipsius tamen benignissimi patris pietate confidimus quod non secundum peccata nostra, sed secundum suam misericordiam nos respiciet propter nomen suum sanctum & gloriosum, quod invocatum

C C c c c i i j